

Ic5

Abo Shad.

Ex. 1.

ACTA
INAUGURATIONIS
NOVARUM ACADEMIAE ABOËNSIS

ÆD I U M,

III CALENDARUM NOVEMBRIS A. MDCCXVII

SOLLEMNITER

CELEBRATÆ.

**Accedunt Tabularum quattuor ænearum ectypa
& explicationes.**

Excuderunt, Aboæ, J. C. FRENCKELL & FILIUS, a. MDCCCXXI.

AD

CELEBRANDAM PANEGYTRIN

INAUGURANDIS SOLEMNI ORATIONE

NOVIS ACADEMIEÆ ÆDIBUS DICATAM

MAGNOS LITTERARUM PATRONOS

PATRES

CIVESQUE

ACADEMICOS ET URBICOS

REVERENTER OFFICIOSE HUMANITERQUE

INVITAT

IMPERIALIS ACADEMIEÆ ABOËNSIS H. T. RECTOR

DANIEL MYRÉEN,

PHIL. ET JUR. DOCT. JURIS OECONOMICI ET COMMERCIORUM PROFESSOR
P. & O.



Exadis in antiquo ad Auram domicilio centum septuaginta & octo prope annis, plaudentes lœtantur Camœnae Aboënses, quod non modo deputæ dudum sint molestæ, superata incommoda, exsarti defectus, quibus diu oppressas, immo afflictas laboravisse atque nonnumquam succubuisse easdem, testantur hujus Litterariorum Sedis annales; sed etiam quod sub nuperis auspiciis Regum Suecorum, & maxime quidem hodie per ineffabilem gratiam Imperatoris Augustissimi, Potentissimi, litterarum omnium Tutoris Beneficentissimi ALEXANDRII PRIMI, ad id felicitatis & honoris fastigium pervenerint, ut, quod amplius desiderent, vix inveniant. Tanto ergo majus penes illas erit & solatium præteriorum malorum, & ex prosperitate præsentis gaudium, quanto certius augurantur, diutissime posthac quoque lata m istam perennaturam fore sor-

— 0 —

tem. Docent enim, quocumque oculos vertamus, rurum, quotquot percipere datur, monumenta, stabilia ubique fuisse & in longas perduravisse ætates, quæ lento gradu, ab exiguis profecta initiis, consummata essent sive naturæ sive artis opera; contra vero præcoccia quæque caduca fuisse & brevi dilapsa, aut mole ruisse sua. Sic instituta quævis humana, Civitates, Imperia, quæ, variis remorata impedimentis, superatis discriminibus, obstaculis ruptis sensim increverunt, tutissime tandem firmata fuerunt. Eo itaque ipso, quod rei nostræ litterariorum initio, diuque postea, volubilis ipsi adversari videretur fortuna, provida eidem favit Natura, maxime, effecitque, ut certius roboraretur, servaretur, floreret. Athenco namque Aboënsi, embryoni adhuc, ne nascens suffocaretur, formidabile jam impendebat periculum, cum, qui in Academiam postmodum convertendum anno 1630 Aboæ instituerat Gymnasium, biennio post, inexorabili fato, orbi patrioque eriperetur, invictus veræ religionis defensor & vindex, immortalis memorie Rex Suecorum GUSTAVUS ADOLPHUS, simulque gravissima rei pecuniariæ inopia, post longinqua diurnaque bella, tor-

— 0 —
pens premeretur patria. Sed mox Finlandiae saluti proprium subvenit Numen, quod ipsi Gubernatorem Tutoremque daret incomparabilem, Comitem Petrum Brahe, qui perpetuis consiliis, monitis, immo precibus id effecit, ut regnum quamvis adhuc minorenni tenente CHRISTINA, litteris ingenuisque artibus faventissima GUSTAVI ADOLPHI Fjria, loco Gymnasii vix decennis inauguraretur optatissima Fennonibus Acalemia: cui insuper id obtigit felicitatis, ut patrocinio primi Sibi ex gratia CHRISTINÆ dati Cancellarii, summi sui jam laudati Patroni Comitis Brahe, per triginta & quatuor deinceps annos frueretur. Sic sub faventissima tutela firma adeo jaella sunt litterarii hujus instituti fundamenta, ut turbulentas deinde calamitosasque ut cunque sustinere valeret tempestates, cum cruentorum non multo post Finlandiam invadentibus bellorum terroribus bis profugi & per plures annos exules dispergerentur Musarum Ministri; at diu tamen vacillavit adversæ succubens fortunæ Earum res, cum infausta totius Regni Svecani, per sumtus bellicos immensos exhausti, conditio crebro impeditret, ne vestigalia Academice concessa solverentur. Mi-

— 0 —
seriem auxerat pestilentia & diræ aliæ civium lues, letales inediae, plura urbis incendia, ceteræque aerumnæ, quæ & publicas & privatas consumserunt opes, idque Reipublicæ nostræ litterariæ intulerunt detrimenti, ut plures ejus Doctores, ne cum tristi perpetuo confliquantur egestate, Musarum prorsus desererent castra. Tandem vero, cum variis, per integrum ab origine sua seculum, obnoxium fuisse Athenæum nostrum procellis, gravior ipsi aperta fuit scena. Commodis ejus & dignitati non publicæ modo, sed privatæ etiam haud paucæ liberalitates consuluerunt. Nova prorsus & inexpectata eousque, favente inclyto Cancellario Comite Carolo Gustavo Tessin, consecutum est Naturæ studium adminicula. Exstructa fuerunt Theatrum Anatomicum, Laboratorium Chemicum & Floræ Hibernalia; concessum argentum ad hæc aedificia sustentanda, ad Hortum Botanicum & ornandum & pro necessitate studii augendum, ad Anatomices artem colendam, ad experimenta Chemica instituenda, ad singulos harum disciplinarum Doctores & Ministros non quidem laute remunerandos, sed modicis tamen mercedibus, ne absterrentur a studiis ani-

mi, juvandos. Sic ad nostras quoque oras coli visæ sunt litteræ, artes, scientiæ omnes, quotquot in illustribus alibi litterariis cœtibus eodem florerent tempore. Quin & insigni non raro laude apud exterros celebrata sunt haud pauca Docentium & Discentium nomina atque labores.

Sed exquisitis jam auctam litterariis gazis, Bibliotheca sensim crescente, haudque spernendis collectionibus rerum naturalium, numorum, instrumentorum & ceteræ suppellectilis, defecerunt Academiam atria pro illis servandis & rite ordinandis, quæ jam, veteribus impletis atriolis, hic illic dispergi oportuit. Immo, ad finem vergente seculo XVIII, exitialia vitia facere cœpit ipsa illa perangusta antiqua ædes, in qua concessus Senatus Academicus, lectio-nes aliaque exercitia publica & quotidiana & extraordi-naria atque solennia habebantur. Quibus tollendis, aut le-niendis saltem, incommodis, cum nihil haberet Academia quod impenderet, parumque sufficerent opes ex liberalitate privatorum collatæ, tantum valuit apud Regem Fennis suis litterisque faventissimum GUSTAVUM IV ADOLPHUM Illustris-

simus tum & miro in cœtum nostrum amore flagrans Cancellarius Comes Carolus Adamus Wachtmei-ster, ut munifice donarentur Academicæ novi & extraor-dinarii redditus, quibus grandiora inceptari possent molli-mina. Ab eo igitur tempore de novo cogitatum est Musa-rum Delubro exstruendo, quod uno loco & sub communi teclio omnia fere comprehendenderet atria necessaria; quodque eo certius secundum exquisitas artis regulas perfici posse videbatur, cum gratiosissime simul a Rege daretur venia pecunias, opposito pignore reddituum annuorum, sumendi mutuas. Conveniens non cunctanter electus fuit & pretio comparatus locus, firmum sumtuosumque jactum fundamen-tum, & primus Aedificii splendidissimi lapis a præsente Rege & Regina solenniter positus, muri deinde exstructi, cupro eleganter teclii, partimque jam exstrinsecus atque in-trinsecus artificiose ornati, cum sceptra Imperii in Fin-landiam quoque caperet Augustissimus Monarcha, Summus litterarum Protector, Potentissimus Rossiarum Omnim Imperator & Autocrator ALEXANDER II, qui erga nos Pieridesque nostras Mitissimus, non modo omnia

privilegia Academicorum antiqua & immunitates antea ipsis
tributas confirmavit & denuo sancivit, sed clementissime si-
mul significavit curæ sibi fore perpetuae, quæcumque ad in-
crementa scientiarum, floremque litterarum conducerent; vel-
leque Se atque jubere, ut & ex proprio suo & ex publico
œrario, quæ Universitati nostræ adhuc deessent, suppleren-
tur. Reapse quoque mox duplicavit fere numerum Docto-
rum mercede ornatorum, audita constituit salaria eorum,
quibus non satis larga ante concessa fuerant laborum præ-
mia, auxit liberaliter diligentiorum studiosorum stipendia,
nova emeritis Professoribus addidit salary, viduisque de-
functorum & liberis, auditis utrorumque redditibus, sine mo-
lestâ vitæ sustinendæ cura vivendi copiam dedit. Atque
cum primum intelligeret, adeo, per factos jam in novam
Ædem pergrandes sumtus, increvisse debitum istius fisci,
ut soluta creditoribus annua usura, perparum superesset œ-
dificationi, & huic propterea, cogente penuria, imperfectæ
per aliquot saltem annos acquiescendum esse, non passus
Indulgentissimus Patriæ Parens ut longius differretur aut
tardius procederet opus, neque ut justæ dignitatis eidem

deesset splendor, pecunia numerata confessim auxit opes A-
cademicas, & plus etiam ex œrario publico per aliquot an-
nos numerandum assignavit.

Sic ortum, sic perfectum est magnificum illud littera-
rum omnium, scientiarum artiumque elegantiorum Templum,
cujus ultimus jam ante biennium positus fuerat lapis. So-
lennem ejus inaugurationem more rituque Academico cra-
stino die celebrandam, oratione panegyrica peragendam
suscepit Camænarum nostrarum amantissimus, nobisque
farentissimus Lycei hujus per quatuordecim & quod excur-
rit annos Pro-Cancellarius Eminentissimus, Reverendissimus
Dioeceseos Aboënsis Episcopus, & Eques Ordinis Im-
perialis de S. Anna in prima Classe atque Membrum
Ordinis de Stella Polari Regii Svecici, Theologiae Do-
ctor Dominus JACOBUS TENGSTRÖM, qui pietatis, grati-
tudinis latitiaeque sensus universorum civium, & nostros in
primis, facundissime, ut solet, interpretabitur. Essent ve-
ro omnium vota tum hilarissime impleta, si præsentem si-
2)

— O —


mul venerari liceret Cancellarium Academiæ Serenissimum,
Celsissimum Magnum Principem NICOLAUM PAULI-
DEN: quod autem tanto minus nobis jam licet sperare,
quo certius novimus Summum Macenatem, ad latus FRATRIS
AUGUSTISSIMI, hoc tempore Mosquæ, propter curas Impe-
rii longe maximas, versari. Enixe vero latamur speran-
tes ex Tua præsentia, Gubernator Finlandiæ Generalis,
Exercitus ibidem collocati Præfecte Summe, Imperialis
Fennici Senatus Præses, Generalis Bellici Ducis locum
tenens, Ordinum Imperialium de S. Alexandro Newski,
de S. Anna primæ classis, de S. Wolodimiro secundæ
majori crucis insigni distinctæ, de S. Georgio tertiae,
pariterque Ordinis Regii Borussici de Aquila rufa E-
ques, Illustrissime atque Excellentissime Domine Co-
mes FABIANE STEINHEIL, festivitatem Actui addendam
fore, Vosque Senatores ad regendam Fenniam delecti, Vos
Hospites, Vos Cives Academici & Urbici, quod jam age-
tur susque deque habituros non esse, sed frequentia Ve-
stra, decus addituros & ornamentum solennitati nostræ.
Vos præterea omnes & singulos, humillime, humaniter, &

— O —

amice oro & rogo, velitis crastino die, cum sonabit æs
campanæ, in Auditorio Academicò Illustri convenire, &
oratione finita pro salute ac flore Augustissimæ Domus Cœ-
sareæ vota fnndere calidissima. P. P. Aboæ die XXIX
Octobris MDCCCXVII.

IN
SOLEMNIBUS AD INAUGURANDAM NOVAM
ÆDEM ACADEMICAM
ABOÆ
DIE XXX OCT. MDCCXVII,
PARATIS ET PERACTIS

DIXIT
JACOBUS TENGSTRÖM,
S. S. THEOLOG. DOCTOR, EPISCOPUS ABOËNSIS, EQUES
IMP. ORDINIS ROSS. DE ST. ANNA IN PRIMA
CLASSE, ET MEMBRUM REG. ORD. SVEC.
DE STELLA POLARI.



ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM.



Affulsit nobis demum, A. A. oo. oo. H. H. faustis
utinam auspiciis! dies, universæ Patriæ, Reipublicæ
vero nostræ Litterariæ Rectoribus, Membris Alumnis-
que præprimis diu multumque exoptatissimus, deside-
ratissimus: adest lætissimus Festus Dies, quo nova
hæcce Ædes Academica, cuius *primus lapis positus An-*
no Millesimo Octingentesimo secundo, (1802) ultimus vero,
post quatuordecim annorum impigros labores, proxime
præterlapso præsentis seculi *anno decimo quinto (1815)*
quamque *Fennicis Musis Munificentia Auguſtorum dudum*
dicatam voluerat, solemní initiationis pompa, juben-
tibus Superioribus, applaudentibus bonis q uibusvis civi-
*bus, jamjam inaugurabitur, consecrabitur *).*

*) Primas novi ædificii lineas, ut & formæ, hodienum quaquæ
cluet, speciem seu delineationem exhibent Tabulæ æri inci-
sæ, calci opusculi hujus appendendæ.

Tibi itaque, Parens generis nostri indulgentissime,
 Deus t. o. m. qui Luce tua æterna non solum immen-
 sas cœlorum orbisque universi regiones complex, ve-
 rum & mortalium ingenia, mentis Tuæ infinitæ divi-
 nas particulas, uberrime benignissime collustras! Tibi
 Sapientiae omnis Supreme Stator, Fons & Principium!
 per secula bene multa *SACRA SUNTO* recens hæcce in
 Religionis & Scientiarum quarumvis liberalium insigne
 commodum Fenniaeque nostræ perenne decus posita
 Delubra, Tuam in paternam & tenerrimam tutelam
 commissa, Tuо sanctissimo plena Numine, cœlestisque
 Tuæ Doctrinæ castis perpetuo sonatura præceptis, morum,
 virtutis & pietatis inviolata reverentia nunquam
 non inclyta! Arce, optime Deus, profanum & lucifugum
 vulgus, ne Tibi & veritati infestum, a bono rectio-
 que alienum, vanaque duntaxat jejunæ & angustæ suæ
 eruditionis gloriola tumidum, sacra hæcce limina un-
 quam polluat! Viros vero ingenio & genuina sa-
 piencia præclaros, pioque Tui Numinis sensu calentes,
 cum ad Tuam agendam caussam, ad turpis supersticio-

nis, errorum & vanarum quarumvis opinionum pro-
 fligandas nebulas, lucisque prorogandum imperium, ad
 jura quævis divina & humana tuenda, ad auctorita-
 tem Legum civiumque Libertatem vindicandam & con-
 firmandam, ad castimoniam denique morum, caritatem
 patriæ, mutuum Principis & Civium amorem, ac cete-
 ras, quæ inprinnis diua Jesu Christi doctrina imbutum
 decent populum, virtutes excitandas commendandas
 his ex rostris verba facere aggrediuntur, fidos hosce
 consiliorum decretorum tuorum interpretes, strenuos
 gloriæ tuæ vindices, sanctissimo tuo rege Spiritu, cœ-
 lesti tua imbue facundia, ut rotundo ore, candido &
 impavido animo, ultiro & masculine ea eloquantur, men-
 tibusque auditorum alte insinuare enitantur, quæ Tibi
 placeant, & ad salutem publicam, ad Athenæi nostri
 Auraici florem & incrementa promovenda faciant!
 Habita heic favens & propensus, optime Pater! cum
 Tuis, ignemque cœlestem, Tuо ex nutu in Sacraria
 hæcce illatum, æternum & inexstinctum apud nos esse

jube, fove atque conserva, lætum eundem nobismet
prænuntium clarioris & uberioris lucis, qua olim, dis-
pulsis vitæ hujus caducæ umbris, in atriis Tuis cœ-
lestibus circumfusi, lumen de Tuō lumine accendere
avidi properabimus, Te, Tua stupenda consilia, in-
numeraque Naturæ & Gratiae mysteria, quæ nocte hic
premere caliginosa Tibi placuit, demum ad Te redu-
ces, novaque & confirmata mentis acie instructi, felici-
us rimabimur, contemplabimur, admirabimur, Te Tu-
amque majestatem, potentiam, sapientiam & bonitatem
infinitam æternis perfectioribus & Tibi gravioribus
celebraturi laudibus.

Quonam dein intimo & humillimo venerabundæ
mentis affectu in lætissima hacce & solempni Musarum
nostrarum celebritate Te compellabimus, Supreme i-
psarum apud nos Tutor & Antistes, Te inquam, Rossi-
arum omnium Imperator Fenniæque Magne Princeps
Augustissime, Potentissime ALEXANDER! quem lau-
ris & rerum gestarum gloria onustum, Scientiis Litte-

risque faventissimum, & de populi Tui perenni inco-
lumentate atque flore indies crescente immortaliter me-
ritum, innumeri cives felices & exultabundi *Patrem*
Patriæ salutant, salutant vero imprimis summoque ju-
re præ aliis bene multis, juncis & plausibus & ani-
mis, Fenniæ nostræ incolæ, quos tot tantisque maclati-
sti, & maclare hodienum pergis beneficiis, ut omnem
spem & exspectationem nostram vel avidissimam su-
perent; quorum vero haud minimam partem sibi
vindicat Societas nostra Academica, novis plurimis
Doctoribus, novis Institutis & redditibus a Te, Augu-
stissime Musageta! liberaliter adeo aucta; qui & mu-
nificentia Tua vere Imperiali gratosissime providisti,
ne sumtus necessarii novis hisce ædificiis Academicis
perficiendis & adornandis deessent; spe nobis insimul
facta, Te & olim eadem Tibi propria liberalitate lar-
gas nobis laturum suppetias, si quando eam sollicitare
nobis opus foret. Pro tot tantisque favoris plane
singularis in nos a Te collatis documentis, quantas Ti-
bi, Imperator Optime! Augustissime! persolvere nos

oportebit gratias! Quibus quamque dignis Te, virtutes Tuas vere Imperatorias prouumque Tuum & beneficium in nosmet animum prosequi valebimus encomiis! Quem ingenuum amorem, quam illibatam pro innumeris & ingentibus Tuis de nobis & de re omni nostra Academica meritis Tibi rependemus fidem! — Personabunt semper laudibus Tuis meritissimis pulpita hæcce, quibus Tuus Genius, benevolus & affabilis quasi præsidet, quibus & in posterum, Numinis instar Tutelaris, continuo invigilabit. *Hic ames dici Pater atque Princeps!* Hic discant lætabundi studiosi juvenes quænam otia & ipsis feceris, quo tenerrimo animi affectu ipsos studiaque litterarum omnis generis, Musis ipse amicissimus, amplectaris; quidque dum olim adoleverint Tibi & Patriæ debeant, eos em pios & gratissimos in Te sensus ad seros usque delaturi nepotes. Placuerunt Tibi jamdudum nova hæcce Camœnæ nostris parata domicilia; ea itaque & olim Tibi commenda in oculis quasi habeas, ea protegas & tuearis, præsentiaque Tua gratiosissima suavissima nonnun-

quam exhilares, quis enim desiderio sit pudor aut modus tam cari capit! certo certius experturus, quam castis & ardentibus votis aspectus Tuos Camœnæ Fennicæ aveant, efflagitent, quasque pias & impensas curas pro memoria Tua immortalitati commendanda jamjam agitant.

Et cum nec Te, Augustum Imperatoris Augustissimi Fratrem, Celsissime Princeps & Rossiarum Magne Dux NICOLAE, Academiæ nostræ Cancellarie Serenissime, in hac Solemnitate coram intueri, quod quidem magnopere in desideriis habuimus, nobis contigerit, publicis nempe & gravioribus alibi detentum negotiis, nil nobis erit prius, nihil posterius, quam Te nostrarum grande decus columenque rerum, omni quo par est animi & verborum honore, absentem quamvis compellare, Tuo nova hæcce Musarum nostrarum domicilia fidissimo committere patrocinio, studiaque Tua etiam posthac, ut hucusque, in tuendis, augendis & promovendis Academiæ nostræ commodis humillime inplorare

prona, farentissima. Liberali & multiplici variarum rerum scientia inde ab incunabulis probe imbutus, eas dudum amare & in deliciis habere didicisti, eas itaque, ut cœpisti, in hacce etjam bonarum artium palæstra clementissime protege, earundem & Doctoribus & cultoribus, utrorumque studiis atque laboribus facilis atque benevolus annue, singulosque ad partes suas egregie tuendas fortiter gratiosissime excita. Tunc Te duce novus seclorum Camœnis nostris nascetur ordo; sic nova per Fenniæ universæ oras se diffundet Scientiarum & Litterarum quarumvis lux, sic Te favente gratiore nobis ibunt dies solesque melius nitebunt, sique omnino de Te Chorago impense sibi gratulabuntur Musæ Auraicæ, & Tu, Mitissime Princeps! utinam diu! *magnus nobis eris Apollo.*

Vobis vero, Cives omnium Ordinum & Dignatum Nobilissimi, Honoratissimi, Æstumatissimi, Tibi inprimis Generosissime atque Excellentissime Domine Comes atque Gubernator Generalis Magni Ducatus Fin-

landiæ FABIAN STEINHEIL, qui primas partes in administranda Républica nostra præclare adeo & secundis bonorum omnium votis tenes! Nec non Vobis reliquis Senatus pro regenda Finlandia Membris Nobilissimis, Spectatissimis! ut & ceteris omnibus natalium, munerum & honorum splendore conspicuis, Legum Salutisque publicæ Ministris, Custodibus & Præfectis dexterimis, qui frequentes Aëtum huc solemnem exoptatissima vestra præsentia condecorare, votaque vestra pro optimi Augustissimi Imperatoris, totius Domus Cæsareæ, Patriæ carissimæ, hujusque demum Instituti Litterarii perenni incolumentate nostris adjungere dignati estis! ob hunc nobis præstitum eximum favorem Vobis jam, totius Collegii nostri Academici nomine, ingentes, officiosimas ago habeoque gratias, vestramque prolixam benevolentiam in commodis Athenæi hujus patrii quavis oblata occasione adjuvandis, promovendis, non tam expeto, quam certo certius mihi polliceor. Quid valeat in fungendis publicis muneribus felix ingenium, variarum Littera-

rum & Artium accurata scientia diligenter subactum, dudum propria vestra edociti experientia probe nostis, adeoque & perspectum vobis habetis, quanti momenti in Republica bene constituta sint & inferioris & superioris ordinis Lycea, in quibus juvenilis ætas sollerter omnibus imbuenda est notitiis, quæ & ad intellectum excolendum, & ad genuinum humanitatis sensum pectori cuique bene nato mature imprimendum præpmiss faciant. Commissas itaque vobis salutis publicæ excubias dum solita fide & industria agitis, sint & quævis Litterarum studia, eorumque continua incrementa vobis semper curæ cordique, ut discant juvenes, qui se olim paternæ vestræ curæ & inspectioni in ambendis officiis publicis tradere in animo habeant, vestrīs & præceptīs & exemplis admoniti, quodnam pretium egregie exultis ingenii dotibus solidæque eruditioni statuendum sit, quaque via & quibus meritis ad honores in Republica obtinendos contendere oporteat, nec desint vobis aliquando digni & idonei Successores, qui vestrā prementes vestigia, vestrisque innutriti

principiis, honori sibi reputabunt bene vobiscum de optima Patria mereri, sicque laudum vestrarum vel aliquam partem olim assequi.

Nos denique Patres Civesque Academici, seniores, juniores, quibus præ aliis hodierna Solemnia cara, jucunda & hilaria sint necesse est, qua mutua & inestimabili abundabimus lætitia, cum post tot annorum continuas curas, dubiasque interdum & ancipites rerum nostrarum conversiones, jam nihil minus, & provida Summi Numinis gratia & Superiorum paterna, qua frui nobis licuit, indulgentia & liberalitate, exoptatissimum laborum nostrorum finem assecuti simus, Templumque hocce exquisita arte largisque sumtibus Musis nostris positum, ipsis hodie demum habitandum aperire, dicare & inaugurate nobis concessum sit. Meministis sine dubio, quotquot olim tirocinia studiorum vestrorum in hacce Sapientiæ cujusvis celeberri-
ma officina posuistis, quam male, quam anguste & in-

commodè olim habitaverint in vetustis suis, ruinam fere minantibus domiciliis, quamque sàpe & sollicite de lautioribus & commodioribus ipsis aliquando exstruendis ædibus majores nostri jamdudum deliberaverint. Consilio vero optimo semper impedimenta obstatere plurima, in primis vero summa ærarii nostri inopia, curta domi, quæ Academiam nostram diu vexavit, supellex, exiguique publici anni reditus, ædificiis ejus vetustate collapsis & pàne corruentibus quodammodo sustinendis & reficiendis vix ac ne vix quidem sufficientes; donec necessitate ipsa urgente, versus finem seculi proxime præterlapsi prisca consilia de novis condendis ædibus Academicis in Consistorio nostro denuo agitari cœperunt, idque eo successu, ut ea non modo faventes approbaverint & rata habuerint penes quos tum summa rerum nostrorum esset, verum & ut snmtus ad opus tantæ molis suscipiendum & perficiendum necessarios sapienti omnino circumspectione & liberalitate assignaverint; quibus subsidiis insigniter postmodum auctis, pertinacibusque

& gnavis vestris, Patres Academic! curis, in eo jam, bono cum Deo! sumus, ut nova & splendida hæc Camœnarum Auraicarum Sanctuaria solemnni ritu hodie demum salutare, primaque in illis Sacra facere nobis liceat.

Veneror præ aliis ego jam senex sexagenario major, qui Consessui vestro Amplissimo per septem & viginti annos adscriptus, cum adamatis sociis opus jamjam feliciter consummatum quandam meditari & moliri ausus sum, veneror inquam intimo & calorissimo pietatis sensu, & ad cineres usque venerabor, Divinam providentiam, quod paterno ejusce nutu mihi, dudum quamvis valetudinario, non modo ædem hancce omnibus numeris jam absolutam usibusque quibus destinata erat, ex voto idoneam meis usurpare oculis, verum & solemnibus hisce Sacris interesse, vestroque Patres amicissimo ex decreto, Cathedram hancce primo concordare, publicæque lætitiae interpretem qualemcumque agere contigerit. Ad Cœlites

jam abiere plurimi, qui junctis nobiscum studiis & consiliis prima ædificii hujus fundamenta quondam ponere aggressi sunt. Rura petierunt alii, jam procul negotiis Academicis tacita & quiesca cum Musis Litterisque exercentes commercia; Senio vero & adversa valetudine prohibetur ex superstribus maximus natu, Ordinis vestri Philosophici Senior antehac spectatissimus, quominus se nostris immisceat choris, lætumque pæana nobiscum hodie conclamat. Me, ætate quamvis viribusque & animi & corporis valde labantem, prolixaque jam opertum canitie, cum paucis junioribus ejusdem propositi tenacibus sociis, hunc in diem auspiciatissimum & melioribus mihi signandum Iapillis, servavit summa Dei bonitas, & senectutem meam, innumeris dudum cumulatam beneficiis, hoc jucundissimo, præter omnem quam unquam concipere ausus essem spem, prospexit, exhilaravit spectaculo. Gratissima itaque mente ad feralem usque urnam lætissimi hujus diei servabo memoriam; votaque suprema dum pro eis, quæ mihi his in terris carissima fuere denique suscipiam,

Academiam Auraicam, ejus Docentes & Discentes, omniaque quæ ejus sunt, præ ceteris vitæ meæ deliciis, Dei ter Optimi Maximi supplex commendabo tutamini, perenni Ejus & indulgentissimo tradam patrocinio.

Scena vero, cui pro tenui virium modulo aliquamdiu servire studui, jamjam abituro, insigni mihi est, eritque quoad vixero, solamini & delectamento, quod eam dudum exornatam noverim hodieque conspiciam tot excellentissimis & ingenio & doctrina præpotentibus personis, viris & domi & foris rerum in Scientiarum latissimo imperio gestarum fama celebratissimis, quorum & olim, quemadmodum hucusque, prout certo certius auguror, præsentio, erit *vitam impendere vero*, nova indies augmenta in vastissimo Litterarum campo jam absolutis, ordinatis & detectis addere, studiosam juventutem paterna tutela & disciplina ampleci, & variarum scitu utilium rerum cognitione veritatumque quarumvis genuino amore animos ejus im-

buere, sive Musarum nostrarum, quæ nos a pueris
inde in sinu quasi gestarunt, nos adolescentes liberali
& tenerrimo in nos affectu enutrierunt, & in hunc
usque diem consummatissima sua sapientia bearunt,
antiquam gloriam non modo eandem servare ac su-
stinere, verum auctam & insigniter amplificatam ad
posteros propagare.— Confluite itaque frequentes, di-
ligentes & sciendi cupidi, selectissimi Juvenes! ad ea
audienda, percontanda & in succum sanguinemque
convertenda, quæ vobis a præceptoribus dexterrimis,
vestri amantissimis, in hacce bonarum Artium merca-
tura scite & fideliter proponentur; Oracula Sapien-
tiæ & Virtutis hic abunde enuntiata avidis imbibite
haustibus, eorumque nunquam non memores ea lente
festinando in vestros & Reipublicæ usus ea fide, per-
spicacia & solertia convertite, ut intelligent cives ex
vestris in Litteris profectibus moribusque egregie com-
positis esse vos Academiæ Auraicæ genuinos alumnos,
optimæ & indulgentissimæ matris optimos filios.
Quoties Ædem hancce Scientiis Artibusque quibusvis

liberalibus sacram, tersissima elegantia, imo magnifi-
centia instructam, exercitiisque Academicis totam quan-
tam dicatam venerabundi salutatis, contuemini, atque
animum pariter ac oculos eximiae artis miraculis pa-
scitis, intelligite perpendite attente, quanti studia Litterarum
æstimanda sint, & quo honoris loco eos, qui
in Musarum castris strenue & feliciter versantur, soli-
daque & præclara sua eruditione tam Scientiis quam
Patriæ & Humanitati universæ inservire satagunt, Re-
ctores populorum habeant, dum tanta cura, ingenti-
que adeo & artis & sumtuum apparatu, ea condunt
& exornant atria, quæ Scientiis Litterisque excelen-
dis profitendis consecrata, vobis vestrisque studiis
quotidie patebunt, nitidaque & splendida sua structu-
ra vos ad Pieridum hic hospitantium dulces amores
assidue persequendos allicant. Intelligite simul
quænam quamque sancta vestra sint officia in munifi-
centissimum Principem, ipsamque hancce Artium libe-
ralium Palæstram, juventutis vestræ impigerrimam nu-
tricem, quam tanto Augustissimus Musageta amplecti-

tur favore, tantis cumulat beneficiis; quo sedulo & improbo labore vobis enitendum sit in decurrente honorisico stadio vobis proposito; & qua religione demum immane, quo tenemini, debitum solvendum vobis sit carissimae Patriæ, cuius valde interest, non tam splendidis superbire aedificiis, quam potius civibus abundare, ingenii, virtutum & meritorum gloria longe lateque inclytis. Et qui vestrum aliquando, exantlatis laboribus vestris Academicis, Ludo huicce Litterario supremum dicturi estis vale, quæque heic Castaliis e fontibus sedulo hausistis Sapientiae præcepta in communis vitæ usum translaturi, mementote grati, quam liberali clientela & hospitio vobis heic diu & placide frui licuerit; mementote læti, quot & quam serenos dies hic in amplexibus Musarum nostrarum transegeritis; mementote denique pii, quocunque & fata vos trahant, vos juvenes heic prima imbibisse recte cogitandi, beneque & honeste vivendi principia, hæcque dein per omnem vitam caste & reverenter coite, iis quæ heic didicistis novos indies cumulos su-

peraddite, novis ea exornate virtutibus, vestrisque non modo, verum & Academiæ Auraicæ commodis alacriter consulite; sic non minus in nostris, quam publicis Patriæ monumentis gratam, amplam & nunquam intermorituram vobis paraturi memoriam.

Inde a quo feritatem ac barbariem primævam exuere, cultiores sectari mores & in Civitates legibus juribusque constrictas priscum mortalium genus, volventibus sensim seculis, coire cœperat, ingenio exulto scientiisque variis & rerum gestarum insigniori peritia exercitato, eximium constitisse decus & honorem, Historia omnium temporum satis superque docet; quam in philosophando mentis aciem & subtilitatem, in judicando celeritatem & solertiam, in consiliis capiendis & versandis sapientiam, in agendo prudentiam, dexteritatem atque fortitudinem, in illis præsertim quæstas & magni æstimatas fuisse novimus, qui publicis

rebus sive in sago sive in toga præesse, munera & honores in Civitate ambire, eorumque egregie administratorum gloria inclarescere in animum induxerint. Florere Republicas jam agnovere veteres, si aut Philosophi imperarent, aut Imperatores philosopharentur; quod idem effatum, & pari fere jure, de reliquis, inferioribus quamvis negotiorum publicorum Curatoribus & Ministris, valere in confessu est.

Hinc jam in antiquissimis imo gentibus fere omnibus varia viguere Instituta, paucissima publica, privata pleraque, in quibus celebrius & eruditorum Magistrorum accuratae institutioni juvenes præclaræ in primis spei commissi sunt, quos vel ad Religionem Sacraque Deorum procuranda, vel exercitus ducendos, vel Rempublicam olim capessendam maxime idoneos fore putarunt; qualia fuerunt Sacerdotum apud Ægyptios & Magorum apud Persas aliasque Orientis populos Collegia, Levitarum & Prophetarum Scholæ in gente Israëlitica, Ludi Olympici Gymnasiaque Græco-

rum, celebre Romæ Athenæum Minervæ quondam dicatum, alia ut taceam; in quibus non solum corporum, verum & ingeniorum exercendorum gratia frequentes convenire solebant & juvenes & præclarissimi illorum temporum gentiumque, Græcorum vero in primis, Poëtæ, Oratores, Rhetores & Philosophi, quemadmodum in *Stoa ZENONIS*, *Academia PLATONIS*, *Lyceo ARISTOTELIS*, & quæ cetera fuere veteris Hellados ejusdem generis Instituta Litteraria, ad Scientias Artesque quasvis ingenuas tradendas & colendas composita; e quibus liberali varia doctrina & educatione accurate imbuti perplurimi exierunt magni & celeberrimi viri, qui & armis & consiliis immortalem sibi, Praceptoribus Patriæque peperere famam. Neque indigenis modo Græciæque proprie sic dictæ incolis, verum & peregrinis, & præcipue Romanis adolescentibus diu multumque frequentata; qui hinc domum reversi, Philosophiam, humanitatem & urbanitatem Græcanicam ad lares patrios secum transtulerunt, amorem Scientiarum sensumque pulchri & decori suis etiam instillarunt ci-

vibus, eosque suis & præceptis & exemplis fortiter ex-citarunt ad Græcorum imitandos mores reliquamque sentiendi & vivendi rationem, eorumque non solum in armis castisque, verum & in Litteris, Artibus quibus-vis liberalibus & Republica bene regenda æmulandam gloriam.

Quousque floruerunt his in gentibus Artium & Litterarum studia, floruerunt etjam Civitates ipsæ o-pibus, bellica fortitudine, moderata & prudenti rerum administratione, amore in Patriam, ceterisque virtutibus valentes atque præclaræ; imminuta vero, parvi habita & demum prope extincta Scientiarum luce, rarescere quoque coeperunt viri, tam armis quam gubernaculis Reipublicæ tractandis pares & idonei, fatique præcoci & deplorabili tandem corruerunt Imperia quondam validissima, potentissima, barbarorum prædatorum cohortibus oppressa, spoliata, subjugata, longaque servitutis, superstitionum & ignorantiae nocte adeo operta, ut de flore illorum prisco demum restituendo vix ulla mortalibus superesse videretur spes.

Sed, qui res humanas omnes benignissime & supra omnem nostram intelligentiam sapientissime regit atque moderatur, generis nostri Stator atque Parens beneficentissimus, lucem denique ad tenebras hasce, quæ jam per secula bene multa orbem terrarum invaserant, sensim dispellendas fugandas oriri jussit, segnitiem & supinam socordiam, quibus vel optima ingenia torpescere viderentur, abstersit, sicque novum & elegantiorum habitum Litteris, novam & lætiorem faciem tam Ecclesiæ quam Civitatibus induit. Quæ in scriniis Bibliothecarum & Monasteriorum cellulis diu ignota & neglecta delituerant veterum Poëtarum, Rhetorum, Historicorum & Philosophorum Scripta, blattarum & tinarum epulæ, in lucem denuo protracta sunt. Properarunt undique & æmulis studiis qui adhucdum in Europa, imo in ipsa Italia, prisco Petri Patrimonio, pauci supererant Eruditi, quorum vero numerum expugnata Constantinoli hinc exsules & profugi Græci insigniter auxerunt, ad ea situ pulvereque purganda, describenda & interpretanda; donec inventa arte Ty-

ographica nova eaque præstantissima ipsis offerrentur novæ renascentis lucis propagandæ subsidia. Restauratæ sunt per Occidentem ubique Scholæ variæ & inferioris & superioris Ordinis dudum collapsæ, novæque plurimæ his additæ. Et quod in primis memorabile, vel mirabile omnino dictu est: condita sunt jam ipsius *medii*, quod dicitur, ævi immitisque Feudalismi & Hierarchiæ Papalis teterimis seculis, faventibus Pontificum Romanorum pronis studiis, saltem bona cum ipsorum venia, plura nova Instituta Litteraria sive Studia generalia, *Universitatum* quoque nomine appellata, exemplo in fastis omnium veterum populorum prorsus inaudito, in quibus per universum cognitionis humanae latissimum campum exspatiari, Scientiasque quasvis Theologicas, Juridicas, Medicas & Philosophicas colere, easque tam publice quam privatim profiteri licet; cuius generis fuere Academia Bononiensis in Italia, Parisiensis in Gallia, Lovaniensis in Belgio, Oxoniensis in Anglia, Pragensis, Lipsiensis & Wittebergensis in Germania, Upsaliensis in Svecia, alias alibi iisdem fere

privilegiis, immunitatibus & juribus olim constitutas & munitas ut silentio prætereamus; quæ Instituta, quamvis informationem illorum, qui muneribus Ecclesiasticis admovendi erant, (penes quos videlicet prope omnis illorum temporum residuebat eruditio & rerum gerendarum intelligentia,) potissimum spectarent, quare & in fulcris Sedis Episcopalis Romanæ a multis reputata sunt, lucis tamen & Scientiarum quarumvis progressus, nescio an volentibus, an invitis eorum conditoribus? insigniter adjuvabant, sentiendi, dicendi & scribendi libertatem excitabant, alebant, fovebant, magnamque eo ipso exercebant vim in illis informandis & acuendis ingenii, quorum sapientibus & sedulis curis Hierarchiæ, per longam decem seculorum moram inveteratae, fundamenta quassata, Principibus Populisque sua restituta jura, superstitionis & turpium errorum commenta profligata, jejuna ac spinosa illa sic dicta Dialectica s. Scholastica Philosophia prisca sua auctoritate disturbata, mores populorum repurgati & emolliiti, clariorque & jucundior dies demum Religioni

Litteris, & Civitatibus exorta est. Inter quos *Testes veritatis*, & sanæ in cogitando, philosophando & credendo libertatis imperterritos vindices, e sinu Universitatum egressos, quis est qui *Johannem WIKLEF*, Academiæ Oxoniensis Alumnum, *Johannem Huss* Theologum Pragensem, in primis vero duum viros præclarissimos *Martinum LUTHERUM* & *Philippum MELANCHTHONEM* Wittebergenses, immortali non colat veneratione? Quorum summa plurimaque in Scientias, in Ecclesiam, Rempublicam omnem & universum denique humanum genus merita crastina luce & proxime in sequentibus festis diebus nos omnes, quotquot Doctrinam Evangelicam divina ex gratia puram & Scripturæ Sacrae consentaneam profitemur, piis & gratissimis animis solemnique qua oportet religione, annuente & jubente Monarcha nostro Optimo, Augustissimo, commemorabimus, celebrabimus; sic auctum decus, novam & uberrimam lætandi materiam ex Sacris hisce secularibus, toti Ecclesiæ Lutheranæ nobiscum communibus, auspicatissimis, præsenti Solemnitati Academicæ conciliaturi.

Crevit deinde eximium in modum post Sacra Reformationis saluberrimæ ope emendata, & Principum & Populorum juncta munificentia, in primis vero sublati & in usum publicum collatis Monasteriorum & Cœnobiorum opinis redditibus, Scholarum, Gymnasiorum & Universitatum numerus, non solum in Religionis & Ecclesiæ, sed & Litterarum quarumvis perenne commodum & incrementum. Est enim inter has, ex eadem oriundas stirpe, Ratione nempe humana, cuius est immensum & idearum & rerum sensibilium, finitorum & infinitorum, variam compagem in proximam communionem eadem jungere harmonia, iisdem constringere legibus, totumque hocce uiversum una complecti cogitatione, uno intuitu, est inquam iater omnia hæcce cognitionis nostræ varia genera, nexus quidam intimus & concentus amicissimus, necessarius & indissolubilis, cui per vestigando, eruendo & explicando egregie favent plurium Eruditorum eodem loco & ad eandem Litterarum Sedein commorantium communia æ-

mulaque studia, conjuncta experimenta & tentamina, familiaria ipsos inter eadem vernacula lingua de rebus altioris indaginis instituta colloquia, mutua quæstionum & problematum difficiliorum examina, diversæ denique philosophandi, disputandi & docendi methodi, opinionum imo & Systematum ipsos inter haud raro obvia divertia, quorum acriori conflictu veritas in profundo abscondita latens felicissime plerumque detectitur & elicetur; ut nil dicam de variis, quæ in Cœtu quoconque Academico bene constituto adesse solent, aliis perplurimis Scientiarum calendarum subsidiis & apparatibus, Bibliothecas loquor publicas, Musea & variarum cognitu utilium rerum, sive per Naturæ ditissima regna conquisitarum, sive artis industriæque humanæ ope effictarum Collectanea, Theatra Physica & Anatomica, Nosocomia Clinica, Chirurgica & Obstetricia, Laboratoria Chemica, Hortos Botanicos, Observatoria Astronomica, aliaque ejusmodi Instituta Litteraria, communibus & Docentium & Discentium votis accommodata; quæ quanti momenti sint ad sci-

endi cupiditatem inflammmandam & explendam, ad varia variis ingeniis ipsisque maxime grata & idonea suppeditanda studiorum pabula, floremque & augmenta Scientiarum omnis generis, seposito iniquo omni partium, scholarum & sectarum studio, promovenda facile est ad intelligendum.

Habent enim Collegia hæcce, quæ Universitatum nomine veniunt, non illum solum finem, ut in illis, tanquam Reipublicæ Seminariis, necessaria variarum Litterarum notitia instruantur juvenes, quibus vel cum ram Religionis, Institutionis publicæ & sanitatis Civium fovere, vel Magistratu quodam fungi, muniaque majora minorave cetera in foro gerere, vel denique negotiis, artificiis & quæstibus quibuscunque in Republica obviis vacare aliquando demandabitur; tendunt faciuntque simul, imo potissimum, ad humanitatis genuinæ intimum sensum mentibus juventutis mature & alte instillandum, excolendum, perficiendum, nec non ad accuratiorem illam, liberalem atque subtilio-

rem rationis innatae culturam, viriumque & facultatum, quæ in animis quibusvis bene natis latent, sapientem excitationem & evolutionem s. explicationem, atque ad nova quævis, difficultia & præclara in Litteris Scientiisque tentanda, audenda intentionem; sine quo divino afflatu mentisque vehementiori impulso & agitatione frustra supra vulgus sapere, frustra ad sublimiores illas lucis regiones evolare, vel in veritatis interiora adyta penetrare annitentur mortalium ingenia. Neque enim illis solis discutiendis, enucleandis & cognoscendis, quæ sensui communī ubivis obvia populari quoque intelligentiae subjacent, & ad praxin s. virtute communis usum recta via & absque mora faciunt, veræ omnis & solidioris eruditionis laus continetur; delectatur ratio nostra, e sinu ipsius æternæ Veritatis egressa, eo quod per se *Verum, Pulchrum & Honestum* est, (*Triadem Rationis* haud inepte dixeris!) idque sola ejusdem contemplandi, sciendi & admirandi caussa, sine ullo vel lucri vel dispendii hinc oriundi habito respondu, sine omni anxia & subtili disquisitione, cui bono

hæc vel illa quæ excoxitavit, quæ invenit & detexit, quæ curiosius perlustrat, examinat, demonstrat, & ad certa principia inter se ordinare, conciliare atque connectere studet, tandem inserviant, practica illa, (ut nonnullis sensu strictiori dici solent,) studia aliis plerumque eorundem amantioribus, vel Scholis & Institutis variis specialibus s. technicis, vel futuris demum seculis colenda ultro committens, sibique sufficiens, dummodo ingenio vivere, aciem ejus meditando experiri & intendere, Naturæ ipsius vestigiis liberius insistere & in sinu ejus quasi voluntari, sicque ambitum omnem cognitionis humanæ pro lubitu emetiri ac pervagari, quin imo eundem amplificare suoque quasi arbitrio & imperio subjicere sibi liceat; quæ vivida, elatior & fatigari nescia mentis nostræ cogitandi, iudicandi & agendi vis, quam inquis quibusdam vinculis limitibusque coercere & comprimere piaculum foret! Scientiis inveniendis, dilatandis & locupletandis quamplurimum semper profuit; præterquam quod supremam naturæ humanæ dignitatem & excellentiam in-

nuat & constituat, cognitionemque ejus cœlestem cum ipso lucis & sapientiæ omnis divo principio evidentissime demonstret.

Sapienter itaque in eo egerunt plerique saltem Populorum recentiorum Moderatores, quod in Universitatibus constituendis & regendis campum aperuerint spatiosissimum, liberimum, in quo effusis quasi habentis ingenia quævis erectioris spiritus viriumque suarum sibi conscientia, longe lateque excurrere & exultare, in prima ultimaque veri, pulchri & honesti principia intrepide, spretaque omnis Scholæ & Magisterii, omnis auctoritatis humanæ inepta reverentia, alacrius inquirere, necessitatem Naturæ cum libertate Rationis conciliare, rerum quarumvis sive mere cogitabilium, sive necessario & revera existentium, præteriorum omnium ac præsentium, non minus quam futurorum causas, indolem, nexus & fines penitus cognoscere, ipsis imo Divinis consiliis & futuræ sublimioris vitæ arcans rimandis, detegendis & celebrandis modeste inhiare

queant, andeant, sicque pro insito mortalium mentibus & connato quasi, arctos quibus circumcluditur ceres perrumpendi *absolutumque* petendi nisu, & multiplicibus ac per omnem rerum naturam sparsis, sive experientiæ & Historiæ, sive puræ speculationis & ratiociniorum ope informatis ideis atque conceptibus, unum, totum & universum quoddam omnium, maximorum, minimorum, quæ unquam cogitari & sciri possunt, sistema, sensuum, temporum & locorum vario imperio exemtum, Scientiæque demum & Philosophiæ nomine vere dignum construere valeant.

Exultis sic atque ad humanitatem vivumque veri & honesti sensum rite adornatis felicibus Naturæ doctibus, facilis cuique erit e Schola in vitam communem, ad forensem quemque usum muneraque Reipublicæ capessenda transitus, viaque tutissime & expeditissime eo ipso parata ad hæc aliquando dextre adeo administranda, ut non modo Legum rationes & præcepta tenere, juraque Civium nosse, verum & eadem

sapienter dispensare & tueri, sique laudes & amorem bonorum omnium, quin & Civicam per secula viren-
tem denique mereri queat; *nam si fundamenta fideliter
jeceris, quicquid superstruxeris haud corruet;* quem utrum-
que & theoreticum & practicum omnium studiorum fi-
nem prudentem itaque Academicæ juventutis Institu-
torem attente considerare & sectari oportet, quo ex
Universitatibus hunc in modum bene & prudenter ad-
ministratis & Litteris Scientiisque, & Civitati ejusque
Institutis variis & officiis publicis bene sit.

Quibus indefessis & sapientibus studiis Academia
Auraica, inde a quo CHRISTINÆ Reginæ Suecorum glo-
riosissimæ memoriae Tutores & Administratores Regni
illam, exhausto quamvis publico ærario & flagrante bel-
lo diutino tricennali in Germania, condere, privile-
giisque pro temporum ratione eximiis satis munire li-
beraliter & fortiter ausi sunt, partibus his suis satisfe-
cerit, annales ejus affatim testantur; testantur perplu-

rimi, quos Fennia nostra genuit, vel quos Academia
heic loci condita solerti sua institutione & disciplina
diu aluit suosque fecit, & qui magisterio tutelaque Mu-
sarum nostrarum dudum egressi, tam multiplicis eru-
ditionis & editorum scriptorum fama, quam munerum
egregie gestorum gloria & apud nostraros & exterros in-
claruerunt; quorum haud pauci, quos Reipublicæ & a-
vi quo vivimus lumina jure dixeris, Actum huncce so-
lennem sua præsentia illustrant, vocemque populi de
bene administrata Civitate nostra Academica egregie
confirmant; testabuntur denique olim juvenes optimæ
spei, qui frequentes hæc hodie opplent subsellia, &
accurata optimorum magistrorum doctrina imbuti, su-
is & præclaris ingenii dotibus, & eruditionis exquisitæ
copia, & integris denique probatisque moribus, gentis
suæ non modo priscam tuebuntur laudem, verum &
novum decus autaque honestamenta rebus nostris &
litterariis & civilibus aliquando superaddent.

Quæ quondam & ante institutam Academiam Aboënsem Scientiarum & Artium liberalium apud majo-
res nostros erat conditio exilis valde atque tenuis, no-
strates plerosque, qui vel ad honores ascendere, vel
eruditioñis eujusdam nomine florere cuperent, ad exo-
ticas Universitates salutandas, studiaque Litterarum i-
bidem persequenda ferrea necessitate diu coēgit; cui
malo quo medelam afferrent, sumtibusque, quos fre-
quentioribus ejusmodi peregrinationibus litterariis im-
pendere necesse erat, parcerent viri de Fennia nostra
meritissimi, (quos inter Drotzetum tum temporis Re-
gni & Gubernatorem Generalem Finlandiae Petrum Bra-
he, Cancellarium Regni Axelium Oxenstierna, & Episco-
cum t. t. Aboënsem Isaacum Rothovium, primum Aca-
demiae hujus Pro-Cancellarium, præ aliis honoris ergo
& hodie nominare, celebrare gratos oportet posteros)
de transmarinis Musis novo ad Auram excipiendis ho-
spitio matura & sapientissima consilia inire cœperunt;
quibus Regia Majestas benignissime & lubenter annu-
ens, Academiam hic instituit, quæ per sesqui seculum,

& quod excurrit, plurima eaque maxima emolumenta
Patriæ carissimæ attulit, jamque novo Augustissimo
Tutori conservanda tradita, ejusque indulgentissimis cu-
ris fota & liberalissime dotata, adhucdum apud nos
viget floretque, utinam aucto indies flore quam diu-
tissime vigeat!

Nova & opportuna, qualia decuisset, adventitiis
Camœnis olim parare habitacula per temporum iniqui-
tatem inter tot tantorumque bellorum voragini haud
licuit, uti nec reliquis earum commodis & desideriis
ex voto prospicere. Priscæ itaque Scholæ Aboensi s.
Cathedrali olim propriæ, at Gymnasii dein per duo
lastra heic florentis, post institutam vero novam Aca-
demiam cessantis, usibus concessa vetusta atria, quam-
vis incomoda & angusta, exercitiis Academicis qua-
litercunque adaptata, adornata & dicata sunt; quæ
postmodum incendiorum & sævorum militum injuriis
licet saepius devastata, iterum vero iterumque refe-
cta, prælectionibus ludisque nostris litterariis ceteris,

eadem utcunque inservierunt, donec fundamenta novæ hujusce **Ædis**, ante quindecim abhinc annos poneret Sueonum tum temporis **Rex GUSTAVUS IV ADOLPHUS**; cuius in Musas nostras facilem & propensum animum hæ gratissima nunquam non colent mente, sinistras rerum & fatorum conversiones, quibus demum succubuit, dolentes futuris enarraturæ seculis.

Neque tacitis hac occasione comprimere licet pectoribus pia & devotissima animi sensa, quibus Te dum coluimus, hodieque colimus, **Illustrissime WACHTMEISTER**, qui quondam noster, Academiæ Aboënsis antehac Cancellarie Indulgentissime, (hocce namque titulo præ reliquis multis, quibus inclarescis honoribus, adhucdum, quemadmodum & olim compellari ames;) nobis auctor fuisti & consiliorum nostrorum adjutor præcipius de condendo aedificio, quod Apollini Muisisque Fennicis hodierna Sacrorum pompa initiare, inaugurate felicibus nobis contigit. Te huicce Solemnitati assistentem intueri, venerari, Tuorumque pluri-

morum in nos recordari beneficiorum, quam nobis fuisset jucundum, honorificum! At vetat præsens rerum nostrarum conditio, vetat locorum intercapedo, vetant denique anni bene multi, quibus Te jam cumulavit rerum humanarum Arbiter Optimus Maximus, quominus his avidis nostris satisiat desideriis. Nostram interim, quamvis absens, benigne accipe pie-tatem, unicum, quo Te jam suspicere valemus, gratissimæ mentis pignus atque monumentum, Teque in fastis nostris, in animis omnium, qui Te & Tua merita norunt, celebratum, desideratum scias venerabunda & immortali memoria!

Laudum vero harum societati & Te hodie adjungere nos decet, oportet, **Illustrissime & Excellentissime ROSENBLAD**, Status in procurandis civilibus Regni Sveogothici negotiis quondam Secretarie dexterime, jam Regiae Majestati supremis a consiliis, qui amicissimo ssmpre in nos animi affectu petitiones nostras, vel arrogantiores nonnunquam cuipiam forte visas, ad Regium detulisti arbitrium, pronisque Tuis & benevo-

lis studiis in meliorem commendasti partem. Reliqua Tua insignia & perplurima de Fennia nostrā, quam caram, imo carissimam Tibi olim fuisse latus memini! merita dum Cives nostri diu gratissimi deprædicabunt, recordabimur & nos Academici, hodieque in primis pia qua oportet observantia recordamur, quo secundo & continuo favore nos resque nostras quondam amplexatus sis, quæ & quanta in parandis & conquirendis hujus construendi ædificii subsidiis Tuæ debeamus indefessæ solertia, quaque ingenua frui sole res lætitia, cum Academiæ nostræ commodis consulere Tibi ex voto contingret. Sit Tibi, Illustrissime vir! proiectior ætas, quam de Patria Tua jugiter bene merendo jam assecutus es, vegeta, læta & jucunda, quem admodum honoribus, meritis laudibusque præclara dum effulget, nostrique & in posterum ut olim studiosissimus, de adiutorio & indies crescente Academiæ Auraicæ flore diu sospes & incolumis nobiscum gaudias!

Fautores denique Musarum nostrarum novæque

hujus exstruendæ Ædis benevolos adjutores cum hodie debitum prosequimur præconiis & gratiarum actiōnibus, vindicant sibi & vestra Illustria Nomina, Generosissime SPERANSKI, & Tu, qui jam rerum sublunarium curis solitus longo placidoque quiescis somno, Illustrissime ARMFELT, præcipuum in Annalibus Academiæ nostræ locum; qui ambo antehac ejus Tutores atque Cancellarii, in commendandis rebus ejus apud Augustissimum Imperatorem succedaneam & benignam posuistis operam, ejusque nobis conciliandi & tuendi favoris suasores fuistis atque auctores. Cum enim redditus publici olim huic suscipiendo operi assignati, eidem absolvendo haud pares esse viderentur, cresceretque perpetuo, accendentibus usuris, æs alienum fisco nostro contractum, junctis vestris & iteratis petitionibus effectum est, ut novis iisque largissimis pecuniarum collationibus, ex munificentia Augustissimi Monarchæ, augeretur Academiæ Ærarium; quas, ceteris nostris annuis redditibus additas, non modo residuis paucis impensis pro hac instruenda & exornanda Æde

vero, prout ubiores redditus nobis affluenter, nervusque rerum gerendarum denique optatior & copiosior nobis suppeteret, consilia quoque de amplificando & lautius instruendo novo ædificio mutata, renovata & amplificata fuisse, variis quæ ad compagem totius pertinerent, jam tum adeo finitis, concameratis locoque suo positis, ut ad omnitudinem & ad accuratissimas artis regulas, cum novis accessoriis exæcte compositam harmoniam s. concordiam haud apte & ubi que redigi possent.

Nihilominus qualia & hodie prostant, sunt manebuntque & liberalitatis publicæ & artis nitidissimæ præstantissima monumenta, usibusque Musarum nostrorum per longam annorum seriem sufficient. Servet ea Summum Numen sub umbra alarum suarum sarta teœtaque, & ab omnibus iniquæ fortunæ casibus tula venientibus seculis, Doctrinæ puræ & genuine Euangeliæ, ut & Litterarum quarumvis bonarum, liberalium quieta & impertubata asyla, veræ *Fidei*, *Spei* futuræ

quæ nos manet immortalitatis, mutuæ fraternæ *Cari-tatis*, omniumque reliquarum virtutum Christianarum Tempa sacrosancta, in quibus pii posteri Lucis Patrem omnisque boni supremum largitorem in Spiritu & Veritate frequentes colant & adorant, Timorem Domini, utpote omnis veræ Sapientiæ initium, omnis veræ felicitatis principium, bonosque hinc enatos mores, fideliter ediscant, gloriaque Dei ter Optimi Maximi, & Salvatoris nostri Jesu Christi illibata & intemerata ad finem usque dierum habitet!

Explicatio Tabularum, delineationem formamque
tam novarum Ædium Imperialis Academiæ
Aboënsis, quam Speculæ, qua ornata est eadem,
Astronomicæ, adumbrantium.

Tab. I. Ichnographia Ædium Academiæ.

A. Contignatio inferior:

1. 1. Areæ subdiales.
2. 2. Vestibula.
3. 3. 3. 3. 3. 3. 3. Cavaedia s. circuitiones (*Corri-dors.*)
4. Atrium magnum, actibus academicis sollemnioribus
celebrandis dicatum, & magnifice exornatum.
5. Atrium exercitiis musicis, saltatoriis & palæstricis
inserviens.
6. Auditorium Medicum.
7. Auditorium Theologicum.
8. Atrium, collectionem mineralium minorem, lectio-nibus publicis inservientem, continens.
9. Auditorium Juridicum.

10. Atrium pro asservandis collectionibus herbariis, entomologicis, conchyliorum, cet., minoribus, quas lectionibus publicis præsto esse oportet, itemque formis atque protypis instrumentorum rusticorum aliorumque.
11. Auditorium Philosophicum.
12. Depositorium apparatus Physici (Instrumentorum physicorum).
13. Auditorium Chemicum, idemque supellestili chemicæ asservandæ destinatum.
14. Laboratorium Chemicum.
15. Theatrum Anatomicum.
16. Thesaurus præparatorum anatomicorum.
17. Museum collectionum zoologicarum.
18. 19. 20. 21. Cubicula famulorum.
22. Carcer.
23. Cavea vigilum.
24. Receptaculum instrumentorum incendiis compescendis necessariorum.

25. Latrina.

Obs. Planitatem, quæ Eurum versus inter Aedes Academicas & plateam s. viam, cui a Tavastia nomen, patet, occupant areolæ binæ fere triangulares, septimo ferreo munitæ, fruticibusque & floribus consitæ, & area major, in formam ellipticam descripta, variisque arborum generibus (tiliis, aceribus, populis, cet.) recens plantatis distincta, quæ simplici ceteroquin ædificii elegantiae haud parum decoris conciliant.

B. Contignatio superior:

1. 1. Arearum subdialium summa regio.
2. Vestibulum.
3. 3. 3. Cavædia s. circuitiones.
4. Atrii Academicci sollemnis, per utramque ædium contignationem semet attollentis, superior pars.
5. Podium musicum, s. odeum, in eodem atrio.
6. Proæceton Curiæ Academicæ.

7. Curia Senatus Academicus.
8. Atrium Consistorii Minoris & quattuor Facultatum.
9. Procœton ejusdem atrii.
10. Prætorium (Cancellaria) Rectoris Magnifici.
11. Tabularium pro asservandis Actis Consistorii & Academiæ in universum.
12. Procœton sequentis Cameræ.
13. Camera Quæstoris.
14. Aerarium.
15. 15. 15. Atria Bibliothecæ Academicæ.
16. Cancellaria Bibliothecæ.
17. Auditorium Bibliothecarii.
18. 18. Cameræ pervolvendis Bibliothecæ libris adaptatae.
19. 19. Atria Musei, collectiones rerum naturalium varias continentia.
20. Atrium collectionem Ornithologicam Rislachianam complectens.
21. Atriola pro variis Musei usibus, utrinque addita.

22. Auditorium Inspectoris Musei.
 23. Conclave pro utensilibus variis.
- Obs.* Numophylacium Academicum in suprema vel tercia ædificii contignatione asservatur, cuius, utpote dimidiatæ tantum, nec nisi in latere ædium boream spectante adornatæ, in Tabula adposita nulla exhiberi potuit ichnographia.

Tab. II. Prospectum exhibet novarum Ædium Academicæ.

Figura superior: Eurum versus, qua plateam a Tayastia appellatam, interjacentisque eidem arboreti planitiem, spectant.

Figura inferior: qua Cori plagam, Templumque Cathedrale respiciunt.

Tab. III. Ichnographia Speculæ Astronomicæ.

I. Delineatio infimæ contignationis, quæ cubicula famulorum, cum culinis, reposito-

riis & cellis usui eorundem paratis, complectitur.

II. Contignatio secunda s. intermedia. Septemtrionem versus: domicilia Observatoris & Amanuensis Observatorii; a parte autem, quæ ad meridiem dirigitur, atria tria observandis sideribus instructa, N:ris 1, 2, 3.

In atrio 2, quod Occidentem spectat, existant: Tubus culminatorius ad N. 7, Circulus meridianus ad N. 8, & Horologium ad N. 9. In atrio orientali N. 3, Circulus repetitorius ad N. 10.

III. Contignatio tertia s. suprema. N. 4 atrium rotundum, observandis sideribus & illud accommodatum. N:is 5 & 6 tecta plana, observationibus subdialibus inseruentia.

Obs. Mons, in quo exstructa Specula Astronomica, a meridie septemtrionem versus

declivis; unde contignatio intermedia, quæ, a septemtrione spectata, superiorem efficit ædium partem, Observatori habitandam datam, a latere meridionali inferiora ipsius Observatorii continet atria, in quibus columnæ (7, 8 & 10) suffulciendis instrumentis e solido granite exsculptæ, ipsi pætræ innituntur.

Tab. IV. Faciem depingit Speculæ Astronomicæ externam.

A. A latere boreali.

B. A latere meridionali.


Corrigenda:

In Programmate:

- Plagulæ primæ Pag. 2 lin. 3 quod l. quod.
 — — — 3 lin. 7 kumana l. humana.
 — — — 5 lin. ult. ne, l. ne (deleto commate).
 — — — 6 lin. 12 xitia l. exitia.
 Plagulæ secundæ Pag. 1 lin. 1 splendor l. splendor.
 — — — 2 lin. 3 licet, l. licet (deleto commate).
 — — — 5 lin. 4 fundere l. fundere.



In Oratione:

- Pag. 5 lin. 10 Munisicentia l. Munificentia.
 — — lin. 14 quaqua l. quaqua.
 — — lin. 15 inc l. inci.
 — — 5 lin. 10 decretorum l. decretorumque.
 — — 8 lin. 14 quidque l. quidque, (addito commate)
 — — 9 lin. 1 exhilares l. exhilares.
 — — lin. 15 adoleverint l. adoleverint, (addito commate)
 — — 11 lin. 1 Fabian l. Fabiane.
 — — lin. 8 huccce l. huncce.
 — — 14 lin. 17 sumtus l. sumtus,
 — — 19 lin. 5 intelligite l. intelligite, } additis commatibus.
 — — lin. 15 excolendis l. excolendis, }
 — — lin. 16 simul- l. simul.
 — — 25 lin. 6 dispellendas l. dispellendas,
 — — 27 lin. ult. Religioni l. Religioni,
 — — 54 lin. 7 liberimum, l. liberrimum,
 — — 56 lin. 8 Universatibus l. Universitatibus.
 — — 41 lin. 18 ssmper l. semper
 — — 46 lin. 8 accessionibus l. accessionibus,
 Reliqua, minora, menda B. L. ipse corrigat.




10 20 30 40 50 60 Sv. Alnar








J.U.Ekvall Sculp.




I.




II.

0 5 10 20 30 40. *Su. Almar*




III.

J. U. E. Sc.



Norra Fäçaden



Södra Fäçaden

J.U. Ekwall. Sculp.

ACTA
NAUG.